

AD ENNII ANNALES.

[Ann. vss. 272—277 apud Vahlenum, vss. 276—281 apud Muellerum.]

Apud Gellium Noct. Att. XX. 10. legimus: «Ego hos versus ex octavo Annali absentes dixi, nam forte eos tamquam insigniter præter alios factos memineram:

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res;
 Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
 Haut doctis dictis certantes *sed* maledictis
 Miscent inter sese inimicitias agitantes.
 Non ex iure manum consertum, sed magis ferro
 Rem repetunt regnumque petunt, vadunt *solida* vi.

Vs. 3. codices omnes *nec* exhibent, cuius in locum Hieronymus Columna rectissime *sed* restituit. Quamquam Bæhrens, ut solet, semper aliquid de suo addere cupiens in Fragmentis Poetarum Latinorum a se editis *nunc maledicta* scribit [Enn. Ann. fr. 187.].

Difficilior est altera quæstio, quid in fine huius particulæ verba *solida vi* sibi velint. Quod sensit iam Gellius, hanc ingressus ibidem interpretandi viam: «Ennius significare volens, non, ut ad prætorem solitum est, legitimis actionibus neque ex iure manum consertum, sed bello ferroque et vera vi atque *solida****; quod videtur dixisse conferens vim illam civilem et festucariam, quæ verbo diceretur, non quæ manu fieret, cum vi bellica atque cruenta». In qua interpretatione cur viri docti acquieverint, probabilem reddere rationem non possum. Nam, ut rectissime Gellius hoc loco ius cum ferro, civilem in legis actionibus vim cum vi bellica conferri intellexit, ita ineptissimum est *solidam vim* de vi vera imaginariæque opposita dictam putare. Tale quid enim ei ob oculos versatum esse e verbis *vera vi atque solida*, quamquam sequentia in codicibus desiderantur, facile elucet. Sed quis unquam adiectivum *solidum* hoc loco idem quod verum significare credat, præsertim cum apud scriptores veteres talis sensus ne levis quidem umbra in hac voce appareat?

Quid igitur *solidum* significare potest? Num validum atque integrum, quo sensu apud Vergilium cum *vi* coniunctum in Aen. II. 638:

quibus integer ævi
Sanguis, ait, *solidaeque* suo stant robore vires

et apud alios sæpissime occurrit? At certe mire languerent hi versus, si Ennius homines sapientiam et iustitiam contemnentes *vadere integra* vel *magna vi* dicere voluisset; nam hic non de virium magnitudine agitur, sed aperte violentia improbatur. Accedit, quod, cum poeta hoc loco contraria iuxta se positâ summopere sectetur ideoque *sapientiam* et *vim*, *oratorem bonum* et *horridum militem*, *docta dicta* et *maledicta*, *ius* et *ferrum* ordine proferat, nemini dubium esse potest, quin et ultimis verbis, ut iam Gellius perspexit, talis significatio sit subiicienda, quæ præcedentibus maxime sit contraria. Quod non nisi coniectura probabili adhibita fieri potest.

Sed dicas fortasse *solidum* Gellii auctoritate confirmari. At consideres velim primum versus ab eo memoriter esse pronuntiatos: deinde, etiamsi memoria lapsum esse eum non credamus, quid obstat, quominus librum Annalium a Gellio adhibitum corruptum fuisse statuamus et facili pronaque coniectura medelam adferre conemur? Scilicet felici quodam casu ex ipsis Annalium reliquiis scriptoris mentem adsequi possumus.

Nam, si confers Annal. vs. 187. apud Vahlenum, 206. apud Muellerum:

stolidum genus *Asacidarum*,
bellipotentes sunt magis quam *sapientiloquentes*,

ubi stolidos poeta eos appellat, qui malint in bellis gerendis, quam in sapientia gloriam quærere, et vs. 100. apud V., 103. apud M.:

Nam *vi* depugnare sues *stolidi* soliti sunt,
ubi certe violentiam atque stoliditatem legitimæ contentioni opponere voluit, quid est probabilius, quam etiam hoc loco:

vadunt *stolida vi*

scribere? Quæ verba aptissime hos versus concludunt omnibusque præcedentibus elegantissime respondent, cum *stoliditas* sapientiæ, oratori bono et doctis dictis, *violentia* autem iuri legibusque maxime sit contraria.

GEYZA NÉMETHY.